



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

II. De eadem re es Concilio Eugenij & Leonis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**

DE EADEM RE EX EODEM  
Concilio Eugenij & Leonis.

*Dialogus secundus.*

**B.** CUM à te heri discessimus, petebat  
**C.** à me cur bullas existimarem dictas  
pontificias litteras. Dixi ab illo sigillo quod  
in singulis pendere solet, sed cur sigillum id  
bulla diceretur, à te petendum esse. **A.** Non-  
ne meministis bullam dici Romanis quam  
pueri supra togam prætextam ferrent è collo-  
pendentem, quod cordis sive lunæ speciem  
obteneret, sive à Græca voce βουλή, quæ con-  
siliium significat, sive à Latina *bullā* pro tu-  
more; ut cūm dicimus, *homo bulla*, aut cūm  
in vestibis auream bullam, aut in aquæ fer-  
ventis spuma ebullire, appellamus bullas il-  
las facere. **C.** Credo me apud Plutarchum,  
Festum, & Macrobiū hoc ipsum legisse.  
Sed non suspicabar inde pontificias litteras  
nomen sumpsisse. Nunc vocis illius abs te he-  
ri usurpatæ memor χρυσόβουλον, facile indu-  
cor ut credam illam fuisse originem bullarum  
apostolicarum. **B.** In eandem ego sententiam  
accedo. **A.** Quid nobis reliqui est ex illis duo-  
rum Pontificum Conciliis? **B.** Caput XIX.  
Anacleto Papæ adscribit Gratianus, Lotha-  
rio Imperatori collectio legum Longobar-  
dicarum. **A.** Magnam tu varietatem narras.  
Sed quid in aliis verbis lucri est? **B.** Initio

§ 9.3. cap. ult.

Longob. de  
advocat. libr.  
2. tit. 47.

Episcopi

Episcopi scribendum est, non *Episcopus*, & *actionem*, non *actiones*. cetera levia sunt; ut *propriis suis actionibus*, quod Gratianus habet, *pro suis actionibus*. (I) Quod sequitur caput xx. conjungi debuit à Gratiano, ut discuteret Episcopus cur Sacerdos advocatum non inveniret. Sed venio ad caput xxi. quod ex Romana synodo appellat Gratianus; & evangelia sive *evangelia* solvenda sunt ei qui invenerit quænam ea synodus fuerit. A. Vide C. quid Anselmus & liber Cæsaraugustanus scripserint. C. Leoni adscribit Anselmus, in Cæsaraugustano inscriptio desideratur. B. Plura sunt in his Conciliis quàm in tribus collectionibus. Anselmus tamen plura refert quàm ceteri; & liber Cæsaraugustanus Gratiano plenior est. Post illa verba, *pro sacro officio illius diœcesis*, sive *diœceseos*, ut in Conciliis est, additur, & *bonæ auctoritatis dimissoriam*, sive, & *idoneos auctoritate dimissoriam*. Et *bonæ auctoritatis dimissoriæ* habet Anselmus, *dimissione* Cæsaraugustanus. A. Prior scriptura placet magis, & *bonæ auctoritatis dimissoriam*. B. Post verbum *commendare* additur in utroque Concilio: *ita ut ad placita & ad justam reverentiam ipsius Episcopi obedienter Sacerdos recurrat*. Eadem cum aliqua varietate sunt in Cæsaraugustano. Major varietas est apud Anselmum. Sed neutrius habendam rationem existimo. Illud addit Leo quartus: *Si verò superbia elevatus, vel alio quolibet modo, à propriis se subtrahere maluerit mandatis Episcopi, canonicis eum decer-*

16. q. 7. c. 33.  
Monasterium.  
Anf. lib. 5. c.  
73.  
Cæs. li. 8. c. 43.

nimus ultionibus subjacere. C. Horum verborum pars est apud Anselmum. A. Ex his facile cognosces quantum interfit ex fonte haurire, aut ex rivulis & stagnis ac lacubus. (2) B. Caput xxiii. non ad Gratianum sed ad veterem illam Bernardi Papiensis tui collectionem primam Decretalium pertinet. Quod enim sub titulo de religiosis domibus ex decretis Eugenij Papæ refertur, hujus Concilij est. A. Recita mihi Concilij verba. sunt enim in nostris libris parum aptè scripta. B. *De xenodochiis & aliis similibus locis. Eugenius in titulo. De xenodochiis, ptochotrophis, nosocomiis, & orphanotrophis, eremocomiis, & monasteriis tam monachorum quam sanctimonialium. Leo quartus.* C. Legi nuper in Juliani epitome Novellæ vii. horum nominum differentiam. illud solum eremocomiis illic non est. A. Fortasse gerontocomiis scribi oportet. quod illic esse non dubito. B. Quid si hæc vox ad eremitas educandos referatur? A. Non rectè composita videtur. Sed perge tu, & quod cœperas refer. B. Capituli ipsius verba sunt hæc: *Per sollicitudinem Episcoporum hæc, quorum diœceseos existunt, ad eadem utilitates quibus constituta sunt ordinantur, ut debiti panes atque curæ pertinentibus revertantur.* In his ultimis verbis est aliqua varietas. *dediti panes aqua* est alicubi. *debitis atque curæ revertantur* alibi, omissa voce *pertinentibus. recitantur* pro *revertantur* invenio etiam scriptum. Mihi *reddantur* non ineptum videretur. A. Ego vocem *cura* in *rogamur*

cap. 2. de relig. dom. in 1. collect. c. 3. e. tit. Greg. IX.

Capit. li. 2. c. 29.  
Ivo part. 17.  
c. ult. decret.  
Cas. lib. 7. c. 80.

tarem. C. Quid ea vox significat? A. Ita dicebatur quod erogari solebat, ut ex Pontificali & Anastasij historia cognovimus. Sic igitur lego: *ut debiti panes atque roge pertinentibus reddantur, seu revertantur.* B. Mihi id vehementer placet. Sequuntur Leonis verba: *qualiter Deo vacantes inopia vel necessitatibus nullatenus occupentur; sed omni expulsa cura, purius in Dei servitio valeant mentibus permanere.* A. Purioribus pro purius mutandum censeo. (3) B. Caput xxvi. refert Gratianus *a* ut ex Concilio Leonis Papæ. Quarti addit Anselmus *b* non malè. A. In libro Cæsaraugustano *c* est: *Ex Concilio Gregorij primi Papæ.* ineptissimè. sed varietatem audiamus. B. *Superposita* pro *supposita*, *prospector* pro *perspector*; & pro illis, *non illicitis exactiõibus opprimantur*, in eo Concilio est, *quam illicitis exactis dationibus opprimantur.* C. Anselmus habet *super posita* & *perspector*, cetera ut Concilium. A. Vide librum Cæsaraugustanum. C. Convenit cum Anselmo, una excepta voce. est enim illic, *quam illicitis exactis vel dationibus opprimantur.* A. Vox *quam* pro *magis quam*, vel *potius quam*, posita esse videtur. B. Ita existimo; ut illud: *Bo-*

a 16. q. 1. c. 62  
Nulli.  
b *Anf. lib. 6.*  
c. 166.  
c *Cæs. lib. 4.*  
c. 89.

*Psal. 117. b.*

d 27. q. 1. c. 31.  
Mulieres.  
e *Tarra. li.*  
6. c. 232.

f Burchardus lib. 8.  
cap. 54.  
g Ivo par. 7.  
c. 72. dec.

o. q. i. c. 9.  
sicut qui.

Cæs. li. 9. c. 12.

addit Burchardus f, cap. xxvi. Ivo g in excerptionibus. Omnes epitomen, non verba, referunt, quæ ita initio concepta sunt: *Femina verò qua habitum religiosum aut velamen obtentu religiositatis susceperunt, cum essent viri potentes, deinceps viro sociari non permittantur; sed eligentes monasteria regulariter vivant, aut in domibus susceptum habitum castè observent. contra autem turpes inventa providentia Episcopi emendentur.* His Eugenij minoris verbis addit alia Leo non contemnenda. (5) Caput xxxii. à Gratiano refertur ex synodo habita ab Eugenio Papa. A. Eidem Eugenio adscribit partem ejusdem capituli liber Cæsaraugustanus. B. Pro illis verbis, *qui invitati sine justa offensionis causa sunt intronissi*, illic est, *qui in monasterio invitati, & injustè sine ostensione sunt intronissi*; aut ut alius liber habet, *qui invitati sine justè ostensionis crimine monasteriis sunt intronissi*. A. Vide quid in Cæsaraugustano sit. C. Si *qui sine ostenso crimine invitati in monasterium mittuntur*. A. Sententia eadem est in omnibus. Illud tamen eligo: *qui invitati sine justè ostensionis crimine monasteriis sunt intronissi*. Sed quid est quod extremo capite dicitur: *sicut in decreto sanctissimi Leonis Papa continetur libro sexto*. Quis ille sextus Leonis liber est? B. Rectè Contiùs notam addidit illis verbis, *libro sexto*: quæ nulla sunt in Concilio Eugenij. Videtur autem Leonis mentio fieri quia Leo capite xxvi. & xxvii. (ut in Corpore canonum est) ex epistula xc. ad Ru-

sticum Narbonensem Episcopum cap. xii,  
 & xiii. idem statuisse. (6) Caput xxxiii.  
 Clementi adscribit Gratianus *b.* quod à te  
 credo esse relatum *i.* Quod dicitur, *à laicorum*  
*loco*, illic est, *à laicorum*, voce tertia omiſſa.  
 & pro verbis extremis, *sacra officia exercere*,  
 habet id Concilium in margine, *sacra officia*  
*celebrari*. Adduntur postea à Leone quarto  
 plura non inutilia. Hujus capitis mentio fit  
 à Sigiberto historico, sed falso Leo V. ap-  
 pellatur auctor. In libro Cæsaraugustano Eu-  
 genio Papæ aliis verbis eadem sententia ad-  
 scribitur. (7) Venio ad xxxiv. caput, quod  
 inscribitur de scholis reparandis pro studio  
 litterarum. Id Gratianus ex synodo Eugenij  
 Papæ refert distin. xxxvii. Non rectè Euge-  
 nio tertio Contiſus adscripsit, à quo nescio  
 an aliquid Gratianus acceperit. Ivo Carno-  
 tensis ita inscripsit: *Synodus Eugenij Papæ*  
*tempore Ludovici*. Pro illis verbis, *ab univer-*  
*ſis Episcopis, ſubjectis plebibus*, scriptum  
 invenio in Concilio & apud Ivonem: *uni-*  
*verſis Episcopis ſubjectisque plebibus*, voce *ab*  
 omiſſa. At in Gratiani libro Thomafiano,  
*universis Episcopis ſubjectisque plebibus*. A.  
 Mutatio placet. B. Quod verò postea est, *qui*  
*ſtudia litterarum liberaliumque artium dog-*  
*mata aſſiduè doceant*, pleniùs est in his duo-  
 bus Conciliis: *qui ſtudia litterarum libera-*  
*liumque artium ac ſancta habentes dogmata,*  
*aſſiduè doceant*. A. Hæc recipienda eſſe oſten-  
 dunt quæ ſequuntur verba. *Quia in his ma-*  
*ximè divina manifeſtantur atque declarantur*

R iij

*h De confec.*  
*d. 2. c. 30. Sa-*  
*cerdotum.*  
*i Dial. 13.*

*Cef. lib. 8. c.*  
*27.*

*Dist. 37. c. 12.*  
*De quibus-*  
*dam.*

*Ivo par. 4. c.*  
*214.*

262 LIBRI POSTERIORIS  
mandata. Sed quid apud Ivonem est? C. Post  
vocem *artium* tantum est: *habentes dogmata  
doceant*. B. Vide quid Leo addiderit: *Et si  
liberalium artium præceptores in plebibus, ut  
assolet, rarò inveniuntur, tamen divina scri-  
ptura magistri & institutores ecclesiastici officij  
nullatenus desint &c.* A. Hæc omitti non de-  
buerunt. (8) De ceteris cras aut perendie vi-  
debimus.

#### ADDITIONES.

(1) **I**NSCRIPTIO capitis ultimi 5. q. 3. in  
editione Romana hæc est: *Item Anacletus  
Papa. Quia episcopus &c.* In Notis hæc sunt: *Hoc ca-  
pitulum, quod ex Anacleto citatur, habetur in Conci-  
lio Eugenij Papa secundi tempore Ludovici ac Lotha-  
rij Imperatorum habito c. 19. Quod etiam à Leone  
quarto est repetitum. Ex quo canone Lotharius lib. 2.  
legum Longobard. tit. de Advocatis & Vicedominis  
octavum Capitulare composuit. In verbis nihil est mu-  
tatum.*

(2) Capitis 33. *Monasterium*. 16 q. 7. hæc in eo-  
dem libro inscriptio est: *Item ex Romana Synodo Eu-  
genij II. & Leonis IV. c. 21. Nulla varietas notatur,  
præter ad vocem invito, al. invitè, in margine. An-  
selmi verò nomen non est adjectum.*

(3) Hæc inscriptio est capitis tertij de relig. do-  
mib. *Ex decretis Eugenij Papa. De xenodochiis & aliis  
&c.* In margine est: *Hoc reperi in 1. compilatione e.  
tit. c. 2. & hic, non alibi. Fons omittitur.*

(4) Ante caput 62. *Nulli Episcopos*. 16. qu. 1. hæc  
verba sunt in libro Romano: *Vnde in Concilio Leonis  
Papa IV. cap. 26. statutum est. In margine hæc sunt:  
Polyc. l. 4. tit. 21. Anselm. l. 6. c. 166. Ad verba su-  
perposita in angariis est in margine: In vulgatis erat  
supposita ] & ad vocem prospiciat, al. perspiciat. &  
ad vocem exactionibus, al. exactis dationibus.*

(5) In eodem libro inscriptio cap 31. *Mulieres obtentu. 27. q. 1. hæc est: Item ex decreto Eugenij Papa secundi in Concilio Romano c. 29. Et in margine est: Polyc. l. 4. tit. 34. Burch. l. 8. c. 54. Ivo par. 7. c. 72. Et in Notis: In Concilio quod extat in bibliotheca Vaticana hæc sunt ipsa decreti verba. Femina verò &c. usque ad verbum observent ut in dialogo.*

(6) Gratiani verba sunt ante caput 9. *Sicut qui. 20. q. 1. in eodem libro: Sic & illud intelligendum est quod est statutum in synodo habita ab Eugenio Papa 11. c. 32. In verbis nulla varietas notatur. Qui inviti sine justa offensionis causa sunt intromissi. Et postea: sicut in decreto sanctissimi Leonis Papa manifestissime continetur.*

(7) De inscriptione capituli 30. *Sacerdotum. de consecrat. dist. 2. scriptum est in dialogo 13. addit. 1.*

(8) Caput 12. *De quibusdam. dist. 37. in eodem libro ita inscribitur: Item ex synodo Eugenij Papa secundi. In margine est: Ivo p. 4. c. 214. Anselm. lib. 7. c. 2. Polyc. l. 4. tit. 32. In Notis: Eugenij ] Apud Anselmum citatur ex synodo habita Roma in consist. Lateran. à Beato..... In Polycarpo eodem modo, & additur nomen Eugenij; ex quo etiam citat Ivo. Inventum verò est in synodo Eugenij Papa II. & in synodo Leonis IV. quarum synodorum, ut alibi dictum est, exemplaria sunt in Vaticana bibliotheca. In indice etiam synodi à Gregorio VII. Roma habita talis cujusdam capituli hæc ponitur summa: Ut omnes Episcopi artes litterarum in suis Ecclesiis doceri faciant. ] In verbis nulla est varietas. Editum autem est: Idcirco in universis episcopis subjectisque plebibus. Et postea: Qui studia litterarum liberaliumque artium dogmata assidue doceant.*

